

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Conradi Samvelis Schvrzfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

LXII. Tmemata Ex Hist. Civ. Varia

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

§. XI. Neque vero domicilium Romae habuit, aut in urbe rerum domina Episcopatum gessit, neque etiam si gesisset, ideo primum potestatis, multo minus sacrum imperium, aut Papatum fundavit.

§. XII. Fuit autem Petrus Babylone, et sine figura Babylonem memorat, et sine allegorico loquendi genere appellat.

§. XIII. Diversa Apostoli Iohannis ratio est, qui initium secundi seculi attigit, et parturientis Antichristi monstrum coelesti providentia afflatus praevidit, et *ἀληθινὸν* Babylonem dixit, ac Romanam denotavit.

§. XIV. Ex his sequitur, Papatus originem non esse iuris Divini, et si in ea afferenda facile conveniunt Pontificii Doctores, sed de EXTENSIONE plerique inter se dissident, et regimen sedis Romanae mere monarchicum esse negant, quod iamdiu Ecclesiae Gallicae moliuntur.

§. XV. Igitur simplici et Apostolico aeo non convenit ambitiosa Primitus affectatio, et *ἀληθινόν* nomen apud Ignatium non evincit splendorem Hierarchiae, sed suppositorum est, atque adeo hoc scriptoribus Apostolici aevi ignotum est, ut quoque vocabulo *μοναρχίας* abstineant, et tumorem stili pariter ac typhum seculi quam diligentissime vitent.

§. XVI. Quo indicio colligimus scriptorem Constitutionum Apostolicarum, quae Clementi tribuuntur, esse infra Apostolorum aevum, et a simplicitate priorum seculorum recedere, et characteri optimae, purissimaeque Ecclesiae non convenire.

## LXII. THEMATA EX HIST. CIV. VARIA.

**R**omanorum quidem mysteria literis prodita, et Romanorum religione culta sunt, sed Eleusinia finibus Graeciae se continuerunt, et a Quiritium civitate, qua Claudio Imp. donare voluit, longissime abfuerunt. Gravis idem, ac Romanorum Graecorumque rituum peritus Orator Cicero, hoc ita confirmavit, ut nullus dubitandi locus sit, in libro II. de legibus.

§. II. Sed, ut quorundam opinio fert, dissidet a nobis augustae historiae scriptor Tranquillus, fide praestans, ac diligentia consignandi Imperatorum acta praeclarus, qui secus tradit, et auspicio Claudi recepta in urbem Eleusines sacra affirmat, in Claudio c. 25. Cum quo facile in gratiam redeamus, si verba historica de proposito atque confilio Claudi, qui Eleusinia admittere in urbem voluit, non de exitu effectuque rei destinatae accipiuntur. *Sacra Eleusina (Eleusinia) etiam transferre ex Attica Romam conatus est.* Nullam haec, ne speciem

ciem qvidem dissensionis habent; tantum abest, ut revera a nobis dissentiat historicus tam ingenuus, tamque circumspectus, ut maxime his repugnet, qui causam dissentendi audacter quaerunt.

§. III. Illud certe magis impeditum est, qvod Druidarum sacra idem ille Claudius sustulisse traditur, qvae tamen ad suam usqve aetatem permanisse Vopiscus testatur, *in Aureliano cap. XLIV.* Regula interpretandi est non committendos, sed conciliandos esse scriptores, ut rerum temporumque rationes subducantur. *Penitus abolevit Druidarum religionem apud Gallos dirae immanitatis,* id est, sustulit pro ea parte, qva cum summa crudelitate coniuncta erat, ritumque continebat ad iniuriam humani generis pertinentem, qvo haec tenus Gallorum sacerdotes litando humanis hostiis, sacra foedarant. Eadem ratione verbum *abolend* alio in loco comparate sumptum, omni difficultate levat interpretes, et admonet, ut recte eiusdem sententia de asylis exponatur. *Abolevit et ius moremque asyliorum, quae usquam erant,* *in Tiberio cap. XXXVII.* Olaus Borrichius V. C. de asylis provinciarum exponit, *in antiqua urbis Roman. facie cap. X.* At enim vero si abrogavit asyla et abolevit, qvae usquam erant, certe non pepertit asylo Vrbis, et nullum adeo exceptit locum. Igitur non abolevit asyla, et sustulit, sed temperavit, modumque praescripsit. Cuius expositionis praefidium, licet repeatam ab historia augusta, et actis Claudioianorum temporum, et ab ipso etiam prudentissimo scriptore Tacito *A. III. 65.* In eandem sententiam Iustus Lipsius, doctissimus, si quisquam alias, commentator, dignus qui legatur.

§. IV. Cum hic Vrbis, urbium principis, mentio facta est, tum venit in mentem Lambridii, qui vitam Heliogabali conscripsit. Vbi locus insigniter mendosus, neque in nova, qvae apud Treboccos exiit, editione indicatus, aut leviter mutatus, iamdudum vero a Carrione et Casaubono in corruptelae suspicionem vocatus, et idoneo interpretationis remedio emendatus, *cap. XX.* *Voluit et per singulas (non urbes, qvod in veteribus, et recentiori etiam Argentoratensi edit, inquitate scribitur) urbis regiones lenones praefectos urbi facere:* cetera enim bene habent, qvae sequuntur.

§. V. Sed vel unius Tullii causa ad mysteria redeo, cuius tria et haut obscura testimonia forsitan de sententia nos dimoveant, et prope efficiant, ut Eleusinia ex Graecia migrasse in Latium, Romamque translata fuisse, credamus. Qvae extant in epistolis ad Atticum exaratis, *lib. V. ep. 21. lib. VI. ep. 1. et lib. XV. ep. 24.* Mysteria, fateor, signat, sed de Eleusiniis qvod tradat, nihil reperio, neque argumento rerum et iensus colligo animadvertoque. Qvo magis miror fuisse, qui traderent, *mysteria Olympiadum,* qvae antiquitas omnis ignorat, a Cicerone designari. Attamen Iosephus Scaliger, eruditorum princeps, in hac fuit sententia, et Ciceronis auctoritate se tueri voluit, id qvod cognosci potest *ex libro II. de emendatione temporum p. 171.*

§. VI.

§. VI. Ceterum sacra Qviritium cum summa dignitate Pontifices curarunt et moderati sunt, nec solum templa consecrarunt, sed etiam rebus aliis, et speciatim ludis, praefuerunt. Quo iure has consecrandi partes peregerint, Cicero docet, munusque eorum describit in fines eius iuris, quo status reipublicae Rom. continetur. Hanc in rem dixisse memini in oratione pro domo sua, ex qua constat, Pontificum et Augurum munia iuris publici fuisse.

§. VII. In quo Ciceroni cum Vlpiano iureconsulto convenit, iuris publici insignem partem in *sacris et sacerdotibus* constituent. Nec omittendi sunt augures, quorum munus erat verbumque proprium, *effari*, adeo ut horum inaugurationes fierent, consecrations autem ad solos Pontifices spectarent. Nulla certe templa, sine formulis augurum, constitui poterant, quibus munere suo perfunditis, locus desinebat esse profanus, quippe solenni augurum verbo inauguratus. Operaे pretium sit, huius argumenti causa legere *Tullium*, sicut *omnis privati, sic etiam publici veteris Romani et sigillatum auguralis et Pontificii iuris gnaviter peritum, lib. III. ad Atticum epist. 41.* Nec pigeat addere *Gellium*, *Noctium Atticarum lib. XIV. cap. 7.*

§. VIII. Locum per augures constitutum Pontifices consecrabant, eumque dabant Numini et dedicabant. Horum formulae solennium passim prodiae extant, et profecto indicant, diversa fuisse munia inaugurationum, et consecrationum atque dedicationum; utrasque tamen perfunctiones ab uno ac eodem iuris publici fonte dimanasse.

§. IX. Quas dignitates quidem non suo arbitratu, sed primum populi, cum summam imperii teneret, deinde Principum, regia potestate imperantium iussu capessabant, horumque auspicio constituebantur. Hoc iure Augusti Imperatores usi sunt, cum Pontificis Augurisque titulos et insignia sumerent, atque hoc arguento, magistratus illos sacros sibi obnoxios esse, indica- rent. *Tacitus de Ottone hoc prodit, Hist. II. 77.* Vlpianus plene et sparsipue declaravit, *locum publicum tunc sacrum fieri posse, cum Princeps eum dedicavit, vel dedicandi dedit potestatem, l. 9. §. 1. D. de divis. rer.*

## LXIII. DE TITVLO AVGVSTI.

**S**acrum, et veneracionis plenum AVGVSTI nomen est, quod diviniori consilio, fatoque gentis Romanae ascitum, atque ab Octavio suscepit, et auctoritate eius comprobatum, Romuliique et Qvirini nominibus praelatum, tum ab omnibus Octavii successoribus constanter servatum, et religione quadam ac reverentia populorum semper cultum est atque celebratum. Florus in extremo epitomes rerum Romanarum. *Trium etiam in senatu, an quia (Octavius) condidisset (velut conditor instaurasset)*

Rrrrr

set)